



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

Qvæst. II. Vtrum Existentia Dei sit certa ex fide, atque euidens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Quæstio II. De notitia Dei:

3

in quibus non propterea est per se notum, Petrum moveri, aut esse dissimilem Æthiopi. Hoc autem subiectum: *Id quo melius cogitari nihil potest*, est terminus complexus, ut patet ex se; & coherentia partium, ex quibus constat, non est per se nota. Quia continet in se excessum notatum in art. 5, respectu omnium creatorum. Ergo in sensu tantum conditionali est per se nota existentia Dei sub eo conceptu; nempe, si est possibile aliquid, quod melius cogitari nihil possit, id utique existit; si minus, talis cogitatio erit mera fictio; & esset deterius, si eius obiectum simul esset in intellectu, & à parte rei. Quod quidem apparet clarè in cogitante Deum meliorem, quam qui existit de facto. Quare etiam si ea ratio sit subtilis, eisdemque valde fidat Anselmus, solida tamen nequaquam est, ut aduertit D. Thomas supra.

Ad 3. & 4. Est quidem per se notum dari veritatem secundum dici, seu logicè sumptam; & consequenter dari aliquod similiter necesse esse; non tamen est per se notum dari veritatem, & necessitatem essendi physicè, ac metaphysicè sumptam, prout est convertibilis cum ente reali in se intrinsecè existenti. Et rursus non est per se nota identitas, & convertibilitas, aut veritatis, aut necessitatis prioris cum posteriori. Quod sufficienter apparet ex probationibus utriusque argumenti. Quia sunt plures Authores, qui negent veritatem, & necessitatem obiectivam, quibus nititur veritas formalis earum propositionum, esse identificatas realiter cum Deo, aut fundari in divina essendi necessitate, ac veritate; & dicunt utramque constitui adæquate per prædicatam veritatem in se intrinsecè, ac essentialiter talia, improprie tantum, & secundum quid existentia, nec dependentia à Deo villo pacto. Quando autem Deus dicit se esse veritatem non prædicat de se essentiam veritatis sumptæ logicè, & secundum dici, sed primam veritatem in essendo. Eadem est ratio de necesse esse iuxta distinctionem datam. Nentrum igitur argumentum pertingit scopum questionis præsentis, licet assumat principia sufficientia ad scopum quæstionis sequentis, ut apparebit ex dicendis; quidquid reniti videatur Caietanus dicto articulo primo circa tertium D. Thomæ.

QVÆSTIO II.

Virum existentia Dei sit certa ex fide, atque evidens?

M I D E T U R nec esse certa ex fide, nec evidens; sed incerta, & tantum probabilis. 1. Quia scientia, & fides de eadem veritate sunt invicem impossibiles, ut liquet ex quæst. 25. de Virt. Theolog. Ergo veritas existentia Dei non potest simul esse certa ex fide, & evidens ex ratione.

2. Revelationes divinæ, ne perperam fiant, quod repugnat, solum fieri possunt in subsidium intellectus humani insufficientis ex se ad assequendum veritates, quæ sibi revelantur à Deo. Repugnat igitur Deum revelare se existere, si hoc potest assequi homo evidenter per rationem naturalem; & è consero.

3. Unum ex præcognitis essentialiter requisitis ad actum fidei divinæ, est existere Deum. Quia nemo cuiquam credere potest, nec ejus testimonio moveri ad assensum, quin præcognoscat ipsum existere. Præcognita autem requisita ad actum

R. P. de Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

fidei non cognoscuntur per ipsam fidem. Repugnat igitur, ut credatur fide divina Deum existere.

4. Causa non potest evidenter demonstrari per effectum sibi improporionatum, quatenus improporionatus est. Quia cognitio rei imperfectioris non potest præcontinere in se cognitionem rei perfectioris, quatenus perfectior est; quandoquidem cognitio obiecti perfectioris est & ipsa perfectior; atque perfectius in minus perfecto præ contineri non potest. Effectus autem creati, qui sunt quid finitum, sunt omnino improporionati Deo, qui est infinitus; cum finitum ad infinitum nulla sit proportio. Ergo Deus non potest evidenter demonstrari à posteriori per effectus creatos. Manifestum autem est, quod nec à priori demonstrari possit; cum nihil sit prius Deo.

5. Non convincitur evidenter, regnare mutua causalitatem in eodem genere; quam videlicet tueretur probabilem plurimum Authorum opinio. Posita autem mutua causalitate in eodem genere, probabiliter rursus defenditur universitatem rerum omnium productarum subsistere per solam mutua aliarum ex ipsis causalitatem in alias. Ergo non potest probari evidenter à posteriori ex creaturis necessitas, & existentia Dei. Notatum autem modò est, ex omnium consensu demonstrari aliunde non posse istam veritatem. Ergo nullatenus probari potest evidenter Deum esse.

6. Argumenta omnia, vel certè præcipua quibus Aristoteles, & D. Thomas, alique Magni authores probant existentiam Dei, incidunt in infinitam seriem causarum, ac rerum, cuiusque negatione nituntur. Argumenta autem, quæ resolvuntur in affirmationem, aut negationem infinitæ eiusmodi seriei, non possunt quietare, aut claritate evidentia illustrare intellectum humanum: Quia intellectus humanus, cum sit capacitatis finitæ, obruitur consideratione infiniti, nec potest efformare de ipso ullum conceptum clarum, & evidenter. Ergo eiusmodi argumenta non possunt continere in se, ac gignere veram evidentiam demonstrativam. Cetera autem sunt inferioris conditionis indicio Philosophi, ac D. Thomæ, ideoque, & re ipsa.

7. Argumenta Christianæ fidei non sunt inferioris conditionis, quam argumenta naturalia existentia Dei, ut auctoris naturalis. Quod facile apparebit conferenti, quæ habentur q. 18. de Virt. Theolog. cum iis, quæ communiter producuntur in præsentia. Et suadet præterea, quia ordo supernaturalis, nulla ex parte, est minoris proportionaliter sufficientia, ac perfectionis, quam ordo naturalis. Nec est rationabile, aut facile credibile fore, ut homini puro patentius innotesceret suus ultimus finis, quam homini elevato; & quod hic sit constitutus in maiori periculo aberrandi intellectualiter ab scopo suo, quam foret ille. Argumenta autem Christianæ fidei solum gignunt evidentiam credibilitatis mysteriorum fidei, & existentia Dei, ut auctoris supernaturalis, non verò evidentiam ipsarum rerum, ut est certum apud omnes. Argumenta igitur rationis naturalis, nec ipsa sufficiunt ad evidentiam metaphysicam de existentia Dei, ut auctoris naturalis, sed solum ad evidentiam quandam moralem, nempe ostendendo, cum evidentia metaphysica, non posse negari existentiam Dei, aut in dubium revocari, nisi imprudenter, stultè, ac impie. Quæ est sententia Calahj l. 1. de Quatrup. cap. 16. cum Alliacensi, Gabriele, & nonnullis aliis. Quibus videtur annuere Nazian. Orat. 2. Theolog. dicens: *Nimis absurdum, & præposterum est, qui non credit argumentis naturalibus, & infelicitur Deum esse.* Sicut enim absurditate præposterâ resistitur argumentis, ubi adest evidentia moralis; ita neque cum

A 2 absurdi

absurditate fieri potest, vt non cedatur euidentiæ metaphysicæ.

Art. 1. Responderetur. Certum in primis est ex fide, Deum esse, vt constat ex clara reuelatione Exodi 3. 14. *Dixit Dominus ad Moysen. Ego sum, qui sum;* & ex necessitate credendi fide diuinâ hanc veritatem; quæ necessitas docetur 1. ad Hebræos 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est;* Exque omnibus aliis, & singulis sacræ Scripturæ partibus vtpotè continentibus in se implicite, vel explicitè reuelationem Dei, vt loquentis, instruētis, operantis, adeoque existentis.

Art. 2. Certum rursus est ex fide, vsque adeo patenter innotescere Deum per rationem naturalem ex effectibus creatis, vt saltem absque manifesta imprudentia, temeritate, ac impietate, non possit negari existentia eius, aut de ipsa dubitari, dicente Apostolo 1. ad Rom. 19. *Quod notum est Dei* (id est, cognoscibile, & apparēs in creaturis) *manifestum est in illis*, (id est, ex lumine naturali, quod ipsis inest ex sua natura,) *Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius*, (speciales, ac infinitæ perfectiones ipsius, quæ propterea nec in se, nec in effectibus creatis videri possunt immediatè,) *à creatura mundi* (ab homine) *per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque* (ac nominatim) *eius virtus, & diuinitas: ita vt sint excusabiles*: scilicet in non agnoscendo Deum. Quibus nihil clarius esse potest pro cōclusionē, nisi fortè tale reppetur, quod dicitur Sap. 13. 1. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex. Et rursus v. 5. Qui hac fecit fortior est illis: à magnitudine enim speciei, & creatura cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Accedit illud ex Psal. 13. 1. & Psal. 52. 1. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Vnde apparet ita esse absolutè possibilem dissensum etiam internum existentia Dei, vt tamen nemo possit illi dissentiri, nisi insipienter, ac stultè, seu quin eo ipso sit insipiens, ac stultus.

Art. 3. Certum denique ex fide puto cum Suarez, ceterisque Theologis communiter aduersus Vasquez, Gillium, & paucos alios, existentiam Dei esse euidenter demonstrabilem metaphysicè demonstratione propriè tali. Certè D. Thomas q. 10. de verit. art. 12. Contrariam sententiam dicit esse manifestè falsam, eademque appellat errorem 1. contra Gent. cap. 12. & alij graves Theologi similibus aliis censuris illam meritò insequuntur. Quia de fide est, ex testimoniis Pauli, & Sapientia modò indicatis, Deum se manifestauisse Philosophis ex creaturis, adeoque eisdem ex iisdem manifestè cognouisse Deum, atque indidem Deum conspici; ac demum ex creaturis posse videri creatorem cognoscibiliter; id est, clarè, ac patenter. Manifesta autem cognitio conspectus, & visio clara causæ ex effectibus, si sumantur propriè, significant scientiam propriè talem habitam per demonstrationem propriè talem. Vt autem sumantur propriè, datur capacitas ex parte materiæ, vt mox patebit, & fatentur Vasquez, Gillius & plerique alij ex aduersariis. Quapropter communis intelligentia, consensus, & modus loquendi Sanctorum PP. apud Fasolum vbi supra, eodem clarè, ac multipliciter inclinatur. Certum igitur est non solum ex ratione, vt apparebit infra, præsertim in responsione ad 4. sed etiam ex fide existentiam Dei esse verè, ac propriè demonstrabilem.

Art. 4. Demonstratur autem primò sub conceptu entis simpliciter necessarij, idque duplici medio. Alterum est; Dari veritates aliquas obiectiuas simpliciter necessarias, & essentialiter inuariabiles, ac æternas. Quia istæ propositiones: *Quodlibet est, vel non est: Impossibile est idem simul esse & non esse: Homo est animal rationale*, & similes sempiternæ veritatis commu-

niter dictæ, cuicumque demum durationi, aut temporis differentia applicentur mentaliter ab intellectu, necessariò, ac inuariabiliter euadunt veræ. Quod fieri non potest, quin dentur à parte rei veritates obiectiuæ necessariæ, & inuariabiles. Quia veritas formalis dependet essentialiter ab obiectiuâ, vtpotè consistens in conformitate cum illa. Veritas autem obiectiuâ est passio entis realis indistincta realiter ab eodem. Eatenus enim vnumquodque est verum obiectinè, ac cognoscibile verè, quatenus à parte rei est tale, quale est representabile, ac cognoscibile per cognitionem formaliter veram. Quapropter implicat in terminis dari à parte rei veritatem, veramque cognoscibilitatem; & tamen nihil dari à parte rei, nullamque existere entitatem, cum qua identificetur; vel in qua aliquater fundetur talis veritas, ac cognoscibilitas. Ad dignoscendum postremæ huius assertionis, totiusque probationis quæ homini indisciplinato videri posset leuis, conspiciuntur, soliditatem, & pro scopo, ad quem, hic dirigitur, efficaciam insuperabilem ultra ea, quæ dicuntur q. 16. & quæst. 21. ab art. 14. Videndus est Anselmus hinc demonstrans directè, ac ferè vnice existentiam Dei cap. 1. & 11. de verit. ex dictis in Monolog. Videndus quoque est totus liber Angulini de immortalitate animæ, & liber secundus soliloquiorum ferè totus cum fine libri primi, eodem pertinentes indirectè, & planè efficaciores pro hac re, quam pro ea, quam directè respiciunt. Sed maxime omnium considerandus est D. Thomas de verit. q. 1. toto art. 5. & in 1. dist. 19. quæst. 5. art. 3. & 1. part. quæst. 16. art. 7. Datur igitur à parte rei, & verè existit ens simpliciter necessarium, essentialiter inuariabile, & æternum. Tale autem ens communiter dicitur, & verè est Deus.

Art. 5. Confirmatur argumentum. Quia quodlibet verum obiectinè, seu cognoscibile verè, vel est cognoscibile immediatè ratione sui, vel mediatè ratione alterius; adeoque est motuum, & causatiuum cognitionis veræ, vel immediatè per se ipsum, vel mediatè per aliud. Quod autem est motuum, & causatiuum cognitionis veræ, veram habeat entitatem, & existentiam necesse est; siquidem quod nihil est, nec veram habet entitatem, & existentiam, ad nullum omnino effectum mouere, nullumque omnino effectum causare potest, vt per se patet. Cum ergo dentur veritates aliquæ obiectiuæ simpliciter necessariæ, & essentialiter inuariabiles, ac æternæ, vt liquet ex ratione nuper data; necesse vtique est dari virtutem aliquam motuam, & causatiuam cognitionis, similiter necessariam, inuariabilem, ac æternam, adeoque necessariò, ac inuariabiliter existentē ab æterno; nisi quis dicere velit dari totidem tales entitates verè existentes, quot sunt illæ veritates. Quod quoad præsens per me licet, sed infra apparebit esse falsum, idque ex ipso conceptu entis simpliciter ac essentialiter necessarij, cuius sine vnici, sine multiplicis existentia realis modò principaliter intenditur.

Art. 6. Alterum medium est. Datur aliquod contingens; id est, tale, cui ex suo conceptu, & essentia, neque repugnat vt existat, neque vt non existat, sed est intrinsecè indifferens, vt aliquandò existat, vel etiam semper; vtque aliquandò non existat, vel etiam nunquam. Ergo datur aliquid simpliciter necessarium, atque essentialiter determinatum, vt semper sit, & cui intrinsecè repugnat, vt aliquandò non existat. De antecedenti dubitari non potest propter quotidianam experientiam generationum, & corruptionum, per quas incipiunt, tum esse, quæ prius non erant; tum non esse, quæ præexistebant. Probatur consequentia. Quia de ratione contingentis est, vt ex se præcisè, vtque suâ solâ neque

Quæstio II. De notitia Dei.

neque existat, dum est; neque desinat esse, dum, non est. Si enim ex se præcisè, exque suis prædicatis solis posset determinari ad alterutrum ex his extremis, non esset ex se indifferens ad extremum oppositum, siquidem determinatio, & indifferencia non possunt identificari adequatè cum eodem, respectu eiusdem; ideòque contingens non esset contingens. Est igitur de ratione contingentis, ut præsupponat aliquid aliud, vis cuius existat ipsum contingens, dum est; & impediatur, quominus existat, dum non est; seu determinetur ad esse, vel ad non esse. Hoc autem ita præsuppositum non potest esse solus aliud rursus contingens. Quia, licet fieri possit, tum ut existat, tum ut non existat, quod ex suo conceptu est contingens; fieri tamen non potest, ut neque existat, neque non existat, sed necesse simpliciter est, ut existat, vel non existat; utque detur determinatio eius vel ad esse, vel ad non esse. Neque necessitas ista vaga contingentis, ut sit, vel non sit, est & ipsa contingens, atque intrinsecè indifferens, ut sit, vel non sit; sed est simpliciter necessaria, atque intrinsecè determinata, vi semper sit. Ne nimirum dicatur, quod absurdissimum est, fieri posse, ut idem simul sit, & non sit, aut quod eodem recidit, ut idem simul, neque sit, neque non sit. Datur igitur aliud simpliciter necessarium, atque intrinsecè determinatum ex se, ut semper sit, vi cuius determinetur vnumquodvis contingens, ut sit, vel non sit; existat, vel non existat, aut absolute, aut pro determinata temporis differentia. Istud autem ita necessarium, non esse collectionem contingentium seu vagè, seu determinatè sumptam, paulò post efficaciter demonstrabitur ex ipso conceptu eius necessarij, qui modò principaliter intenditur.

Art. 7. Demonstratur secundò existentia Dei sub conceptu summi boni, hoc est, entis continentis in se formaliter omnem puram bonitatem, ac perfectionem, exclusà omni imperfectione, ac defectu; idque triplici medio. Primum est, dari aliquid simpliciter necessarium, atque essentialiter indefectibile, & æternum, uti modò ostensum est. Impossibile nimirum est simpliciter necessario inesse defectum aliquem, & imperfectionem. Quia omne defectuosum, & imperfectum est honestè odibile, ac fugibile ab aliquo. Sicut enim omnis bonitas, & perfectio vera, ac per se talis, seu non pendens essentialiter à falsa rerum apprehensione, est essentialiter amabilis, & prosequibilis honestè ab aliquo; ita omnis defectus & imperfectio est odibilis, & fugibilis honestè ab aliquo. Nempè bonitas, & defectus; perfectio, & imperfectio comparantur cum amore, & odio; prosecutione, & fugà voluntatis; sicut cōparantur veritas, & falsitas cum assensu, & dissensu intellectus. Quare sicut repugnat inesse alicui veritatem, quæ est ratio formalis assentiendi, quin insit eidem meritum, & capacitas terminandi assensum intellectus bene dispositi; similiterque de falsitate respectu dissensus. Ità repugnat inesse alicui veram bonitatem, & perfectionem, aut defectum, & imperfectionem, quin insit meritum, dignitas, & capacitas terminandi respectu amoris, & odium; fugam, & prosecutionem voluntatis bene ordinate. Est igitur odibile, ac fugibile honestè ab aliquo omne habens defectum aliquem, & imperfectionem. Nullum autem simpliciter necessarium est odibile, ac fugibile honestè. Stultum namque est id odisse, & ab eo fugere, quod repugnat absolute, ut non sit, estque essentialiter inevitabile; cum odium & fuga, ex suo conceptu ordinentur ad non esse, & ad vitiationem obiecti terminantis fugam, & odium. Porro omne necessarium simpliciter est essentialiter inevitabile, atque repugnans suo non esse, ut patet. Nullum ve-

R. P. de Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

rò stultum est honestum. Nulli igitur simpliciter necessario potest inesse defectus aliquis, & imperfectio. Ergo omni simpliciter necessario inest essentialiter omnis pura bonitas, & perfectio. Patet hæc consequentia. Quia nullus defectus, & imperfectio potest excludi ab aliquo subiecto, nisi per contrariam bonitatem, & perfectionem; sicut tenebræ non possunt excludi, nisi per lucem; ac proinde neque cumulus omnium defectuum, & imperfectionum potest excludi, nisi per plenitudinem omnis puræ bonitatis, ac perfectionis. Bona igitur est prima illatio ex conceptu, & existentia simpliciter necessarij ad conceptum, & existentiam summi boni carentis omni defectu, & habentis omnem puram bonitatem ac perfectionem. Tale autem bonum ab omnibus dicitur, & verè est Deus.

Art. 8. Ex hoc discursu colligitur ulterius, necessarium simpliciter illatum in demonstratione præcedenti non posse esse collectionem aliquam contingentium, siue determinatam, siue vagam, siue constantem determinato numero contentorum, siue multitudine retrogredientium in infinitum; ac demum, siue mutud, siue non mutud determinantium sese ad esse, vel non esse. Vt cumque enim adstruatur talis collectio; seu quasi collectio nullo pacto fieri poterit, ut liberetur ab omni defectu, & imperfectione; quandoquidem ponitur constare ex iis solis, quorum vnumquodque, nullo excepto, est contingens, & defectibile, nullusque est notior defectus, & imperfectio, quam contingentia, & defectibilitas secundum esse; atque collectio, seu quasi collectio constans ex partibus, quarum singulæ sunt defectuosæ, & imperfectæ, tot in se contineat defectus, & imperfectiones, necesse est, quot sunt illæ ipsæ partes; Nec potest carere omni defectu, & imperfectione, quod essentialiter scater tot undique defectibus, & imperfectionibus. Repugnat igitur, iuxta dicta, quidquam simpliciter necessarium constare ex iis solis, quorum singulæ, nullo excepto, sint contingentia, ac defectibilia.

Art. 9. Secundum medium est, ens carens omni defectu, & continens in se omnem puram bonitatem, & perfectionem, nec esse impossibile, nec contingens ex suo conceptu. Et quidem non esse contingens, manifestissime apparet; tum quia contingentia, & defectibilitas est procul dubio defectus aliquis, & imperfectio, cum sit capacitas non existendi; id est mali; quod omnia fiunt, quantum possunt, & capacitas mali sit aliquod malum: tum quia contingens indiget alio, vi cuius determinetur ad esse, ut paulò prius dicebatur; atque indigentia est manifestus defectus, & imperfectio. Repugnat igitur ex terminis clarè, ens carere omni defectu esse aliquid contingens, aut conflatum ex solis contingentibus.

Art. 10. Verum neque impossibile, & chimericum potest esse tale ens. Quia nulla bonitas, & perfectio formaliter, & præcisè ut talis, est contradictoriè opposita vlli alij bonitati, & perfectioni formaliter, & præcisè ut tali; cum contradictorium formale cuiusvis bonitatis sit sola malitia, seu defectus, & imperfectio; sicut contradictorium formale lucis sunt solæ tenebræ. Sed neque potest vlla bonitas, & perfectio, quatenus talis formaliter, ac præcisè, seu ex conceptu bonitatis, & perfectionis secundum se, esse essentialiter cōnexa cum defectu, & imperfectione contradictoriè opposita formaliter vlli alij bonitati, ac perfectioni præcisè, ut tali. Quia essentialis connexio cum defectu, & imperfectione sua propria, est & ipsa formaliter defectus aliquis, & imperfectio. Repugnat verò bonitatem aliquam, & perfectionem, formaliter, ac præcisè

A 3 vt.

ut talem, esse malitiam aliquam, seu defectum, & imperfectionem formaliter ut talem: sicut repugnat lucem aliquam, esse formaliter aliquas tenebras, ut tales. Ens igitur includens in se omnem puram bonitatem, & perfectionem, ac proinde carens omni defectu, & imperfectione, non proprie reā includit in se ullam contradictionem. Ergo tale ens non est aliquid impossibile, & chimericum, de cuius ratione est, ut includat in se contradictionem aliquam formalem. Quod autem neque est contingens, neque chimericum, & impossibile, eo ipso est necessarium, & datur semper a parte rei. Datur igitur a parte rei ens carens omni defectu, & imperfectione, atque includens in se omnem puram bonitatem, & perfectionem; id est, datur purum, & summum bonum.

Art. 11. Positum medium est. Possibile esse, ut definitur a Philosopho 2. Rhetoricorum, & alibi non semel, quo posito nullum sequitur inconueniens. Impossibile namque est, ex positione entis carentis omni defectu, & imperfectione, sequi aliquid inconueniens. Quia quodvis inconueniens est aliquid malum: id est, aliquis defectus, & imperfectio. Impossibile autem est, ex positione carentis omni defectu, & imperfectione, seu omni malitia, sequi aliquem defectum, imperfectionem, & malitiam: Sicut impossibile, est, ex positione lucis secundum se sequi tenebras. Et ratio est, quia nihil sequi potest ex positione exclusionis sui. Ens autem carens omni defectu, & includens in se omnem puram perfectionem, ac bonitatem, est contradictorium omnis defectus, imperfectionis, & malitiæ, tum distributiue, tum collectiue sumptæ; id est, est contradictorium chimæ omnium pessimæ, ac foedissimæ; utpote continentis in se omnia inconuenientia, tum collectiue, tum distributiue, ut per se patet. Igitur tale ens non est impossibile, & chimericum, sed neque est contingens, aut ex contingentibus conflatum ut nuper patenter innouit. Ergo est ens necessarium, & essentialiter existens.

Art. 12. Tertia demonstratio existentia Dei petitur ex conceptu primi principij inprodigibilis, ac immobilis, sibi que proinde sufficientis se solo, ut sit, utque optimè habeat. Experiencia, omniumque sensuum testimonio manifestissimum est aliqua de nouo produci, & incipere esse, cum prius non essent, & postquam producta sunt, moueri, & immutari, aliterque se habere, quam prius haberent. Quotidie enim gignuntur de nouo, atque adeo producuntur animalia, plantæ, atque non videntia, quæ prius non erant in rerum natura; & postquam producta sunt, multipliciter alterantur, ac immutantur, dum ex frigidis fiunt calida, ex nigris alba; sursum ac deorsum transferuntur; & sic de aliis innumeris aliter se habendi modis. Quidquid autem, aut producit de nouo, aut mouetur; ab alio adæquate, vel saltem inadæquate distincto producit, ac mouetur. Quod in primis liquet experientia, eorum omnium, quorum productio, & motio liquet per eandem experientiam. Videmus enim ab aliquo præexistente produci, aut moueri, quidquid videmus produci, seu esse de nouo, aut moueri; nec enim ignis aliquis incipit esse de nouo, nisi, ubi, & quando præexistit alius ignis, aut aliqua alia causa æquiualens dans illi esse; & sic de cæteris quibusvis effectibus. Nec etiam subiectum aliquod mouetur, & sit ex frigido calidum, ex nigro album, ex non vidente, aut non volente videns, aut volens, quin præexistat aliquid distinctum ab ipso mobili, seu moto, vi cuius producat calor, aut albedo; & per quod potentia visiva, ac volitiva moueatur, ac determinetur ad

eliciendam visionem, ac volitionem; vel certe, quin præexistat causa alia similiter distincta remouens impedimentum, quod obstabat, quominus talis effectus produceretur ab ipso mobili, & sic de aliis similibus.

Art. 13. Probatur deinde ratione. Quia quod aliquando incipit esse, & immediatè antè non fuit, non potest sufficere sibi se solo, ut sit. Primò, quia quod sufficit sibi se solo, ut sit, semper ac necessariò, est; cum nihil sibi contrarium, atque inimicum, totiusque sui boni quasi inuidum esse possit, negando sibi proprium suum esse; & quod manifestius chimericum est, existendo in ratione impedimenti respectu sui, dum supponitur omnino non esse. Secundò, quia dum aliquid non existit, nihil existit eorum, quæ identificantur cum ipso; ne dicatur idem ipsum realiter esse, simulque non esse simpliciter, ac propriè. Vnde si sufficientia ad esse alicuius aliquando non existentis, esset adæquate indistincta ab eodem; deficeret sufficientia eius ad esse, dum ipsum deficeret; idè què inciperet postea esse, quin præcessisset sufficientia eius ad esse; id est, quin præcessisset possibilitas eius ut esset; nempe possibilitas cuiusque rei est inseparabilis à sufficientia eius ad esse. Impossibile siquidem est id existerè, cuius nulla est sufficientia ad esse, seu ad cuius positionem a parte rei nihil est in rerum natura quod sufficiat. Manifestum igitur est, quidquid producit, ab alio produci, nec sibi sufficere se solo ut sit.

Art. 14. Manifestum similiter est, quidquid mouetur, ab alio moueri, nec se solo sufficere quidquam posse, ut aliter se habeat, quam prius. Quia si mutatio sit in deterius, atque nocua; cum nihil sibi noceat ex se præcisè, sitque nocuum proprium contra appetitum innatum cuiusvis rei, impossibile erit talem mutationem inesse cuiquam ex se præcisè, nullaque re alià decipiente, alliciente, aut cogente. Si verò mutatio sit in melius, atque perfectiua; consequenter anterior eius priuatio fuisset in deterius, atque nocua; idè què ob eandem rationem; numquam illam passum fuisset, quod se solo suffecisset ad pellendam ex se eandem priuationem. Sicut enim vnaquæque res prosequitur bonum suum, quantum potest; ita excludit malum suum, quantum potest, quatenus agitur appetitu innato. Eadem verò ratio est de agente libero, si moueatur se solo adæquate ad electionem. Quia nihil mouetur, ac allicitur ad nocendum sibi. Vnde quisquis determinatur ad electionem nocentem sibi, necesse est, ut moueatur, saltem inadæquate, ab aliqua alia re extra se posita, ut nimirum versetur inter motiua inuicem opposita, atque idè distincta, quorum proinde saltem alterum distinguatur ab ipso eligente. Igitur quod aliquando priuatur, aut præexistit priuatum aliquo suo bono; id est, quidquid aliter se habet, ac mouetur; necesse est, ut ab alio saltem inadæquate distincto moueatur, non minus quam necesse sit, ut quidquid producit, ab alio producat, & neutrum eorum, possibile est, ut sibi se solo sufficiat, vel ad suum esse simpliciter, vel ad totum suum bene esse.

Art. 15. Quidquid autem ab alio, aut producit, aut mouetur, nec sufficit sibi se solo, ut vel sit simpliciter, vel aliter sit, quam prius esset, necesse est, tum ut producat, tum ut moueatur immediatè, vel saltem mediatè ab aliquo producente improducto, & mouente immobili, quodque proinde sufficiat sibi se solo ad suum esse simpliciter, & ad totum suum bene esse. Si enim, quod producit, aut mouetur, producat, aut moueatur ab alio similiter producto, aut moto per aliud; producat, utique; aut mouebitur ab alio simpliciter in suffi

insufficiente sibi se solo, ut sit simpliciter, aut ut aliter sit, quam prius; eademque est ratio de quouis ulteriori processu, siue finito, siue infinito producentium, productorum, & mouentium motorum. Impossibile autem est ut multitudo, siue finita, siue infinita, constaret ex iis solis indiuiduis, quorum nullum sit sufficiens sibi se solo ad suum esse simpliciter, aut ad suum bene esse; idest, cuius indiuidua indigent bono vniuscuiusque eorum seorsim sumpti essentialiter proprio ac peculiari; cuiusmodi utique est vniuscuiusque esse, & bene esse) impossibile, inquam est, ut talis multitudo sufficiat sibi se sola ad suum esse simpliciter, aut bene esse, nec indigeat aliquo alio, quod similiter non indigeat, sed sufficiat sibi se solo; idcircoque sit extra totam ipsam talem multitudinem constituta.

Art. 16. Veritas huius principij ostenditur clarius, & commodius præmissis exemplis. Multitudo in primis, siue finita, siue infinita hominum, quorum singuli, nullo excepto, sunt penitus stulti, & ad omnia & singula indigentes directione, ac instructione alterius, non potest se sola esse sapiens, aut non indigens instructione, ac directione alterius existentis extra totam eam collectionem, & non indigens similiter sapientia, & directione alterius. Hanc secus multitudo famelicorum, quorum nullus seorsim habeat sufficientiam vllius cibi, sed quilibet indigeat accipere ab alio indiuiduo præhabente iure suo peculiari; non potest abundare cibis, aut saturari, si non subueniatur sibi ab aliquo alio existente extra totam eiusmodi collectionem, & habente de suo sufficientiam ciborum, nec indigente, ut accipiat ab alio; idque est verum, siue ea multitudo sit finita, siue sit infinita. Idem cuius clare apparet, circa quoduis aliud genus bonorum, in quavis multitudine, siue finita, siue infinita continente sola indiuidua, quorum singula, nullo excepto, indigeant aliquo bono vniuscuiusque specialiter proprio, nec illud habere possint, nisi acceptum ab alio.

Art. 17. Nunquam nimirum quisquam poterit sibi in animum inducere, subuenientem esse toti eiusmodi indigentia singulorum, præcisè quia aucta est in infinitum multitudo indigentia, factusque est regressus infinitus ab ultimo indigente in alium, atque alium ita subuenientem posteriori indigentia; ut vniuscuiusque subuenientium indigeat rursus alia priori subueniente respectu sui. Semper enim apparebit eadem ratio, quâ duobus taliter indigentibus opus est tertio constituto extra eam binarium, qui tertius utrique, vel alteri eorum duorum subueniat; atque tribus est similiter quarto extra ternarium posito; & sic de qualibet alia collectione finita in infinitum; Infinitis quoque similiter indigentibus, quantumcumque, & qualitercumque multiplicatis, opus esse aliquo alio constituto extra totam eam multitudinem, seu qui non sit similiter indigens, sed sibi sufficiens ex suo, idcircoque non accipiens ulterius ab alio illud ipsum, quod erogat ceteris.

Art. 18. Eodem namque modo, quo comparantur inter se finiti indigentes, in quouis determinato numero, cum totidem subuenientibus, quorum quilibet semper indiget alio rursus subueniente sibi; comparantur etiam infiniti indigentes cum infinitis subuenientibus, quorum quilibet similiter indiget alio ulterius subueniente sibi. Utrobique enim singuli indigentes singulis subuenientibus iuxta proportionem correspondent. Quapropter eadem utrobique ratio, & legitima proportionali supputatione, seu quasi supputatione, manifestè concludi-

tur, deneniendum esse ad vnum aliquem, ita subuenientem aliis, vel aliis, ut ipse non indigeat subuentione alterius, nec concludatur in multitudine, siue finita, siue infinita indigentium, & non sufficientium sibi; sed sufficiat sibi se solo. Cum igitur ostensum sit, nullum productum, seu producibile; nullumque motum, seu mobile sufficere sibi se solo, sed quodlibet semper indigere alio producente, ac mouente; clarissimè concluditur, deneniendum tandem esse ad primum quoddam principium improductum, atque essentialiter improducibile, & mouens immotum, atque essentialiter immobile, sibi que sufficiens se solo, ut sit, & bene sit; neque aliter fieri posse, ut aliquid aut producat, aut moueatur. Datur igitur primum quoddam principium improducibile, ac immobile, sibi que sufficiens se solo, ut sit, utque optime habeat. Tale autem primum principium ab omnibus dicitur, & verè est Deus.

Art. 19. Existentiam, & necessitatem huius principij negatiuè, & positiuè primi Diu. Thomas q. 2. art. 3. & alij communiter probant ab inconuenienti. Quia videlicet negato principio productionis, & motionis essentialiter primo, & nec productio, nec moto, sequitur processus, in infinitum, productorum, & producentium; motorum, & mouentium. Quæ quidem sequela est satis manifestæ ex nuper dictis, exque ipsi terminorum apprehensione. Absurditas tamen, & implicantia eiusdem sequelæ, etiam si, me quidem iudice, sit vera; non vique adeò conspicuè, & clarè demonstratur, obruente, vel saltem obnubilante intellectum nostrum consideratione ipsius infiniti processus; utpotè improporionati, quâ infinitus est, intellectui finito, atque incomprehensibilis, per ipsum. Certè est erutu difficilis ea absurditas, & implicantia, si & impossibilis non est, ut aduertit D. Thomas 1. contra gent. c. 13. §. *Et ad hoc dicendum*, iuxta sententiam de existentia mundi ab æterno traditam, ut videtur de facto à Philosopho 8. Phys. initio & 1. de Cælo sub finem, atque assertam de possibili, ab eodem D. Thoma in hac prima parte, q. 46. art. 1. Inde enim necessariò inferitur, & admittitur ibidem ab eodem S. Doctore possibilitas processus, saltem per accidens, infiniti in causis, & effectibus; ut in homine, aut igne gignente alium, atque alium hominem, aut ignem sine fine; ex quibus qui generantur, potuerunt ex natura rei esse genitores gignentium se de facto, propterea que dicuntur per accidens ordinati. Existentia autem, vel etiam sola possibilitas huius infiniti processus redditur rursus admodum ardua, nec parum obnubilantur argumenta D. Thomæ in dicto ar. 3. & alibi non semel aduersus processum in infinitum in serie (quam procul dubio intelligit ordinatam per se, & ex natura ipsa rei) motorum & mobilium producentium, & productorum; necessitatis essendi causantis, & causate; graduum maioris, & minoris bonitatis; virtutis, ac nobilitatis. Argumentatur enim circa hæc omnia ex repugnantia ultimi, & medij, siue vni, siue multiplicis absque aliquo primo in vnoquoque genere. Quod tamen, non satis apparet clarè, quo pacto vigeat admissa, vel existentia, vel possibilitate processus infiniti in per accidens ordinatis; Quandoquidem eo ipso admittetur postremum, & medium in aliquo genere; absque vllò primo intra idem genus. Ut igitur ab his difficultatibus, & ambagibus, eximeretur argumentum, utque demonstratio euaderet magis clara, ac conspicua; consultius visum est eam proponere in forma æquè clare, & efficaciter concludent, siue ponatur finita, siue infinita multitudo causarum, & effectuum, mouentium, & mobilium;

mobiliū; eaque, siue per se, siue per accidens ordinata.

Art. 20. Longam moram faciunt plerique neoterici circa hanc ipsam demonstrationem, in explicando, quando valeat, & quando non valeat argumentum à distributino ad collectiuum. Manifestum nimirum est aliquandò non valere; Siquidem potest ciuitas ciuitati esse similis, & exercitus exercitui; tamen nulla seorsim domus sit similis ciuitati; neque exercitui ullus miles in particulari; atque compositum naturale est ens completum, tamen vnaquaelibet eius pars secundum se sit incompleta. Quare igitur aiunt, non poterit similiter dici in presenti, totam multitudinem, praesertim infinitam rerum productarum ac motarum esse improductam, ac immotam; nec indigere principio aliquo essentialiter primo aequè improducto, & immobili, & ab eadem multitudine adequatè distincto, tamen vnaquaelibet res, & vnaquaelibet pars totius multitudinis secundum se finita sit producta, aut mota ab alio?

Art. 21. Dicendum est, difficultatem istam fuisse iam praecoccupatam inter proponendum nostrum argumentum. Obseruatum namque est, in re presenti, fieri transitum à distributino ad collectiuum sub praedicato negatio non excludente à singulis solam coniunctionem cum aliis, quibus idem praedicatum negatiuum sit commune; sed excludente insuper aliquid aliud, cui idem praedicatum negatiuum non sit commune. Dictum enim est cuius producibili, & mobili conuenire praedicatum istud negatiuum insufficientis, seu non sufficientis sibi se solo, vt sit, aut bene sit. Quod quidem praedicatum non excludit à singulis producibilibus, & mobilibus solam coniunctionem cum alio, vel aliis similiter insufficientibus, seu non sufficientibus sibi se solis, vt sint, aut bene sint. Quia haec coniunctio est similis coniunctioni pauperis cum paupere, & famelici cum famelico seu pauperibus, & famelicis infinitis, quae nunquam sufficiat ad depellendam pauperiem, & famem à tota multitudine. Nempe praedicatum huiusmodi negatiuum tantundem multiplicatur, & augetur, quot sunt entitates superadditae per coniunctionem cum prioribus similiter insufficientibus; ideoque per nullam talem additionem fieri poterit, vt exterminetur, penitusque auferatur à tota multitudine, seu collectione idem praedicatum negatiuum.

Art. 22. Patet igitur valere in re nostra argumentum à distributino ad collectiuum; Quia collectio, de qua instituitur argumentum, solam superaddit singulis collectionis coniunctionem cum reliquis contentis intra eandem collectionem; ideoque non potest excludere, per se ipsam collectivè sumptam, praedicatum negatiuum conueniens singulis secundum se, & non excludens ab eisdem solam coniunctionem cum reliquis eiusdem conditionis, ac indigentiae. Alia longè ratio est exemplis paulò prius propositis in art. 20. Quia singulae partes compositi sunt incompletae, seu non completae per solam negationem coniunctionis cum alia, vel aliis partibus similiter incompletis, & vnaquaeque pars habet ex se, quod deest alteri, neque est vniuersalis in omnibus defectus eiusdem praedicati, vt euenit in re nostra. Rursus singuli seorsim milites vnius exercitus sunt dissimiles, seu non similes alij exercitui; nec non singulae domus vnius ciuitatis alij ciuitati, per solam negationem coniunctionis cum reliquis, seu militibus, seu domibus; & eodem gradu, quo augetur numerus aliorum militum, seu domorum supra singulos minuitur dissimilitudo cum exercitu, & Ciuitate; quod non ita euenit in re nostra, vt patet,

Vnde in illis, & similibus exemplis sola coniunctio singulorum cum reliquis eiusdem conditionis aufert omnino à toto, seu à collectione praedicatum negatiuum singulis seorsim partibus conueniens; & propterea non tenet argumentum à distributino ad collectiuum sub tali praedicato negatio; quale certe non est praedicatum negatiuum, quo nititur demonstratio nostra. Haec eadem doctrinā praemittitur etiam vltius illatio supra facta rebus contingentibus ad ens aliquod simpliciter necessarium, & distinctum adequatè ab illis tum seorsim, tum simultanee sumptis; militat enim, quoad hoc etiam eadem ratio, vt patet conferenti art. 6. cum iis, quae modo dicta sunt.

Art. 23. Eadem ferè argumentandi methodo demonstrari vltius posset existentia Dei sub conceptu vltimi finis rerum omnium, qui consequitur mutuo ad rationem primi principij efficientis; nec non sub conceptu primae regulae morum, qui similiter consequitur ad rationem vltimi finis. Verum quia de hoc duplici Dei conceptu agendum est ex professo in qq. de Beat. & act. hum. propterea duae istae demonstrationes omittuntur in presenti. Quae etiam de causa differuntur plures aliae demonstrationes, quarum erit opportunior locus in progressu. Sufficit enim pro nunc statuere tria superiora praedicata realiter identificata, & conuertibilia cum Deo, quae deprehenduntur ex notissimis, ac maxime obuiis, peruiisque naturae principijs, eademque sufficiunt, & sunt praeteris opportuna ad inferendum reliqua Dei praedicata, de quibus deinceps dicendum est. Illud tamen argumentum praetermitti nequaquam debet, quod doctis, atque indoctis est peraequè facile, perceptibile, atque manibus quodammodo palpabile, & cuius est plurimus, ac praecipuus vsus non modò apud Sanctos PP. ac Theologos, sed etiam in sacris literis; quodque Atheistas omnis generis, siue acutos, siue hebetes, siue idiotas, siue versatos in scientiis, quos non reddit impotentes physice ad dissentiendum existentiae Dei, reddit certe profusus inexcusabiles, vt superius dicebat Apostolus, & enormiter peccantes in eo dissentiu; quod denique, respectu notitiae naturalis de Deo, correspondet iuste argumentis Christianae fidei respectu notitiae supernaturalis de eodem, nisi quòd haec non sufficiunt, illud sufficit ad euidentiā metaphysicam ipsius rei.

Art. 24. Argumentum porro istud nititur magnitudine, ordine, & pelchritudine mirabili totius huius mundi visibilis; omniumque, & singularum eius partium arctissimo concordia, numquam, & nusquam dissoluta, aut dissolucenda nexu, atque earundem perspicacissima, & efficacissima directione ad optimum, & opus, & statum vnicuique possibilem, ac congruentem. In quibus omnibus innegabiliter, ac delectabiliter patentibus elucet vsque adeò manifestè vnius categorum omnium supremi artificis, conditoris, ac gubernatoris potentia infinita, & bonitas, ac sapientia incomprehensibilis, vt nullus, nisi nequissime pertinax, & pertinacissime stultus negare possit existentiam illius; id est Dei Optimi Maximi, iuxta illud superius cum aliis similibus memoratum art. 2. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Dixit id nimirum tot insuperabilibus sin contrarium argumentis vndique obsessus, & toties vehementi eorum assultu, atque impressione impetitus; ac pulsatus; quot partes vniuersi vbi libet circumquaque patent, & quoties in illas oculos animumque conuerteret, vel audium cognitionis verae causae, quam illa spontè suā suggererent, vt sibi congruentem, vel machinatorem causae falsae, quam eadem summa-

Quæstio II. De notitia Dei.

9

vi repellerent, ut nullatenus sibi accommodabilem.

Art. 25. Profecto si audito suavi citharæ concentu (quod exemplum longiori contextu pulchrè, & effecaciter vrgent Athanas. Orat. contra Idol. inter medium, & finem, & Nazianzen. Orat. 2. de Theol. sub initium) si, inquam, audito citharæ concentu, protinus agnoscamus citharæ peritum; si, viso surgere augustum perfectæ structuræ palatium, dubitare non possumus de capaci mente, & peritia non vulgari architecti; si exercitus benè ordinatus, & obseruans exactè regulas militiæ, & argumentum clarum præstantis Imperatoris ipsum dirigentis; & sic de aliis eiusmodi regolis, earumque seu authoribus, seu directoribus; nec potest quisquam illas vel leuiter obseruare, quin clare coniciat iis inesse mentem, peritiam, consilium, & deliberationem perspicacem, ac maturam; nec potest sibi in animum inducere, talia opera existere à casu, vel quasi à casu, ex se ipsis, aut ex solis similibus, nullo præexistente auctore, aut direttore, qui illis longe præmineat: si, inquam, rursus, hæc ita se habent: qui fieri potest, ut quis vel superficie tenus aduertat totius huius vniuersi structuram mirabilem, atque magnificam; concentum eiusdem quoad omnes, & singulas suas partes, cum diuersitate ipsarum propè infinità, summè concordem, ac suauissimum; & cursum omnium, ac singulorum constantissimum, ac rectum in suum vniuersumque proprium, & iuste proportionatum finem; quin eo ipso coniciat, tantum, ac tale opus non potuisse existere, nec posse conservari, ac dirigi quasi à casu ex se ipso; sed auctorem habere summa sapientia, & infinita bonitate, ac potentia præditum? Quæ auctor est solus Deus Optimus Maximus existens à se; ne & ipse dicatur existens insipienter, & quasi à casu, sed vi eiusdem sapientiæ, bonitatis, ac potentiæ secum identificatæ, quæ cætera condidit. Ex quibus apparet, quam rectè aduersus Atheistas, & Idololatrias pronunciarint Cypr. de Idol. Vanit. proprius ad finem, quam ad med. & Tertul. in Apol. aduersus gentes c. 17. *Hæc est summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possis*; id est, qui non possit non sufficienter apparere, exigens iure suo sinceram agnitionem sui, & plenum suæ existentie assensum. Ob hæc igitur omnia, & alia plenè innumera partim explicanda partim insinuanda in decursu, non solum certissimum est ex fide, sed etiam multiplici ratione evidentissimum est existere Deum.

Ad 1. Non possunt quidem scientia, & fides de eodem secundum idem simul inesse eidem intellectui; possunt tamen inesse seorsim, atque ideo cognoscibilitas per utramque, & certitudo obiectiua relatè ad utramque, potest simul adesse eidem veritati obiectiue, ut eodem illo in loco explicatius apparet.

Ad 2. Esto, existentia Dei sit absolute demonstrabilis secundum plures rationes, & nulli non innotescat euidenter secundum aliquam; vtiliter nihilominus reuelatur ab ipso Deo, tum ut subueniatur eorum debilitati, & tarditati ingenij, qui nequeunt assequi demonstrationes vsque adeo claras, & perfectas quoad ea omnia prædicata Dei, etiam ut auctoris naturalis, quorum distincta, & certa cognitio est necessaria ad directionem intensiue, & extensiue perfectam operationum humanarum: Tum ut prouideatur internæ animi tranquillitati eorum, qui tamen si eiusmodi demonstrationes assequantur re ipsa; non tamen assequuntur vsque adeo dilucidè, ac defecate, ut non tangantur aliqua suspitione, ac formidine intercurrentis æquiuocationis alicuius, ac sophismatis; nec possint ab ista molestia & tortura penitus liberari, nisi per recursum ad asyllum fidei, cui inest tranquillissima vis pellendi ex animo omnem formi-

dinem, ac suspicionem falsitatis, ut constat ex q. 22. de Virtut. Theol. Tum ut ij, qui demonstrare valent absque vlla eiusmodi imperfectione, expediantur, quatenus ipsorum intererit, à labore, & morâ illas inueniendi, nec non à conatu, & distractione ad eas actualiter aduertendi, quoties diuinorum pia meditatione exercentur, atque hanc ipsam meditationem, applicant ad effectus, & operationes salutares, ideoque eleuatas ultra limites solius rationis naturalis, iuxta ea, quæ habentur q. 7. de Gratia; possintque compendio facilius, & delectabilius, ac maiori cum lucro spiritali, uti vniuersi ad omnia regulâ, & directione fidei tutiore, efficaciore, ac sublimiore, renunciando interim rationibus omnibus purè naturalibus. Tum denique ut obseruatâ congruentiâ, & perfectâ consonantiâ diuinarum reuelationum cum rationibus naturalibus quoad eam Dei notitiam, ad quam vsque eadem rationes peruenire possunt, facilius inductor animus ad fidem earum quoque reuelationum, quæ transcendunt spheram discursus naturalis.

Ad 3. Deus, ut præcognitus sub vno conceptu, potest mouere, & obligare ad fidem suæ reuelationis de existentia sua sub alio conceptu, & expressione, ut exponetur q. 20. de Virt. Theol. quia verò conceptus, & expressio illa præuia potest esse varia, & multiplex apud alios, atque alios; propterea potest Deus vtiliter reuelare existentiam suam sub quouis conceptu, & expressione sui.

Art. 1. Ad 4. Res omnes creatæ sunt infinitè improporcionatæ Deo secundum magnitudinem perfectionis, ideoque nec possunt inducere cognitionem perfectam Dei, scilicet vel adequatam eidem, vel etiam inaduatam, sed representatiuam ipsius, ut est ipse in se; Nec possunt gignere in nobis apprehensiones terminorum, per quas immediatè, & secundum se innotescat existentia Dei absque vilo discursu, ut dictum est in q. præcedenti. Caterum eadem creaturæ sunt proporcionatæ Deo in ratione causæ æquiuocæ, & effectus inaduatæ, id est in ratione ænigmati, & arcani; quorum alterum reperitur perobscure, & imperfectè delineatum in altero, nec transaret sine discursu; transarere tamen potest per discursum intellectui capaci compositionis, & diuisionis. Nempe creaturæ essentialiter sunt finitæ, ac limitatæ participationes perfectionis infinitæ Dei. Et quæ sunt participationes, gignunt circa Deum cognitionem affirmatiuam perfectionis sibi communis cum ipso Deo. Quæ verò sunt finitæ, limitatæ, & imperfectæ, gignunt cognitionem negatiuam totius suæ imperfectionis respectu eiusdem; in quouis namque effectu habenti essentialiter totam suam bonitatem per participationem, apparet clarè acceptam eam fuisse à causa præhabente eandem; & similiter apparet imperfectionem, ratione cuius indigni influxu, & causalitate alterius, non posse inesse causæ, ex quâ primitus emanat talis bonitas coniuncta cum tali imperfectione, ut liquet ex tertia demonstratione ab art. 12. Omnes igitur, & qualibet creaturæ fundant immediatè duas præmissas circa Deum, seu circa creatorem suum; alteram affirmatiuam bonitatis ut præscindens à limitata, & illimitata; finita, & infinita; alteram negatiuam limitationis & finis.

Art. 2. Ex his porò duabus cognitionibus innicem coniunctis, & simultaneè cooperantibus intellectui sequitur cognitio tertia, vtrilibet illarum perfectior, negans limitationem, & finem de bonitate primitus causatiua ipsarum creaturarum. Quod quidem prædicatum bonitatis illimitatæ, & infinitæ seu non habentis limitationem, & finem, est re ipsa identificatum, & conuertibile cum Deo. Hæc tamen ipsa conuer-

conuertibilitas ideo nondum apparet semper ac necessarii satis clarè, quia contingit eundem aliquem conceptum negativum excludi indifferenter per plura entia positiva, ut tenebrositas aeris excluditur per lumen, tum candelæ, tum solis; & incertitudo de existentia Dei excluditur, tum per fidem, tum per scientiam de ipsa. Vnde in re proposita dubitabile adhuc est; an illimitatio, & infinitas bonitatis primitus causantis creaturas, excludat solam limitationem, & finitatem vel potè numericam, vel simul gradualem bonitatem, vel secundum numerum tantum, vel etiam secundum speciem regredientium absque ullo limite, & fine, aut indiuiduorum tantum, aut etiam specierum; an verò excludat limitationem & finem secundum essentiam simplicis entitatis? Quapropter opus est formare novum insuper syllogismum, in quo habeat locum prius præmissæ conclusio negativa prius deducta, nempe: *Bonitas primitus causativa creaturarum non est finita, & limitata*. Cui adiungi debet hæc alia affirmativa: *Bonitas, quæ non est finita, & limitata limitatione, & finitate insufficiente sibi, & essentialiter exigente causalitatem alterius à se distincti, est distincta à tota multitudine entitatum, quarum singulæ, nullæ exceptæ, sunt taliter finitæ, ac limitatæ*. Quod demonstratur, ut supra ab eodè 12. Ex quibus duabus cognitionibus sequitur cognitio alia tertia, utralibet illarum seorsim perfectior, negans de bonitate primitus causativa creaturarum, identitatem cum illdem creaturis, seu rebus finitis & limitatis cumque tota earum multitudine, siue finita, siue, infinita. Quod quidem prædicatum est, aliquantò manifestius, identificatum re ipsa, & conuertibile cum Deo. Verum quia vltius dubitabile est, an talis bonitas sit simplex, vel composita; corporea, an incorporea, & sic de similibus: Propterea necesse est efformare similiter aliam atque aliam syllogismum, quò magis, ac magis eluceat existentia Dei secundum rationes differentiales ipsius à creaturis, & plures, & magis semper, ac magis claras, atque potentes.

Art. 3. Concluditur itaque hoc discursu creaturas propter proportionem, quam habent cum Deo in ratione causæ æquivocæ, & effectus inadæquatæ, ænigmatis, & arcani; seu similitudinis, & imaginis imperfectæ, atque prototypi perfectissimi posse esse, eandem demonstrationum circa existentiam, & perfectiones Dei. Indidem vltius apparet demonstrationes de existentia Dei, quæ communiter proponuntur in præsentia, quæque superius propositæ sunt; non posse nancisci totum suæ claritatis, & conspiciuitatis complementum, nisi adiuncto decursu & processu totius Theologiae. Cuius videlicet totius hoc opus vnicum est, ut prædictas demonstrationes magis, ac magis promoveat modo dicto, atque in maiorem semper, ac maiorem claritatem perducant discretinam Dei à creaturis, omnibusque ipsarum imperfectionibus. Indidem rursum apparet ratio, ob quam difficulter discernantur discretione certâ, & perfectâ eadem demonstrationes à sophismatis, & topicis syllogismis; & difficillimè redigantur ad formam, quæ vel ipsi illas inveniendi penitus satisfaciât. Quia videlicet initiales istæ demonstrationes fiunt in primis Dei prædicatis, quæ sunt cognoscibilia per obiecta creata, ideoque cognitio de Deo, quæ acquiritur per illas, distat quàm minimum à cognitione creaturarum, secundum se, & plurimum participat de natura, & vilitate eius; utpotè immediatè influentis in ipsam, ideoque imprimis illi plurimam similitudinem sui. Quod autem, parum distat ab aliquo, nihil ab eo distare videtur, & faciliè alterum cum altero confunditur; eademque de causâ inveniens aliquid valde simile præhabitis, nihil de nouo inuenisse videtur; nec

facile est, ut multum gaudeat de bono inuenito, licet contingere possit id re ipsa esse materiam plurimi gaudij, ut contingit in re præsentia. Opus igitur est diligenti, ac perspicaci inspectione in hac materia.

Art. 4. Apparet denique omnem cognitionem de Deo consequibilem naturaliter ab homine, viatore esse admodum vilem, & imperfectam. Quia semper retinet vilitatem originis, quam ducit à cognitione creaturarum secundum se; ideoque est inadæquatè, & admodum imperfectè representativa Dei: non secus, atque ipsæ creaturæ sunt inadæquatæ, & imperfectæ participationes perfectionis diuinæ. Mirum igitur non est, quod cognitio creaturarum secundum se habeat proportionem, cum cognitione Dei consequibili naturaliter ab homine viatore, fundatam, ut dictum est, in proportionem, quam habent res creatæ, quatenus sunt effectus Dei, cum ipso Deo quatenus est earum causa. Quapropter obiectio teneret, si diceretur posse haberi ex creaturis cognitionem de Deo adequatam ipsi; nihil tamen concludit aduersus cognitionem Dei inadæquatam & ænigmaticam. Quæ videlicet ita comparatur cum obiectiva cognoscibilitate Dei, quem representat: sicut comparatur bonitas, & perfectio creaturarum, cum bonitate & perfectione intrinseca Dei, quem participant, existente utrobique assimili omnino proportionem.

Art. 1. Ad 5. Esto probabilis sit mutua causalitas in eodem genere secundum diversas rationes formales, secundum tamen eandem rationem formalem improbabilis omnino ea est. Disputatur enim in vtramque partem Ex gr. Vtrum ingressus aeris in cubiculum sit causa apertionis fenestæ; & eadem apertio sit inuicem causa eiusdem ingressus? Nemo tamen dubitare potuit; an duæ fenestæ clausæ possint se solis aperire se inuicem, apertione alterutrius ex illis existente causâ adæquatâ apertionis alterius; & sic de similibus. Nempe de huiusmodi comparatione est perquam manifesta sententia illa Anselmi c. 3. *Monol. ad medium. Irrationalis cogitatio est, ut aliqua res sit per illud, cui dat esse*. Ostensum autem est in superioribus demonstrationibus effectus omnes creatos indigere causâ distinctâ à se secundum rationes illis omnibus communes. Ergo, non potest, per mutuam causalitatem, excludi necessitas primæ causæ essentialiter improductæ, quæ est Deus.

Art. 2. Deinde dantur alia prædicata, & proprietates rerum creatarum, præterquam esse productas, quæ formaliter ratione sui connectuntur cum existentia Dei, ut esse dirigibiles in suum, vnamquamque, finem & coordinabiles inuicem; fundare propositiones sempiternæ veritatis; & similia, de quibus supra. Circa quæ nihil, nequidem apparenter, innare potest mutua causalitas. Quid? quod demonstrabilis etiam est existentia Dei à concomitanti; nempe per prædicata quædam per se nota, conuertibilia re ipsa cum Deo, quin hæc eorum conuertibilitas sit per se nota, ut notatum est in q. præcedenti 23. & tamen est demonstrabilis, ut opere ipso apparuit supra ex parte in prima, & secunda demonstratione.

Ad 6. Verissimum est considerationem affirmatiuam infinite multitudinis, & ordinis, seu quasi ordinis rerum semper retrogradi absque ullo fine, obtruere intellectum humanum, eumque inexplicabiliter intricare & loco tranquillæ ac incandæ quietis, quâ illum donat inspectio veritatis, quæ est centrum ipsius, incutere horrorem, ac stuporem similem illi, quem incutiunt tenebræ nocturnæ iter agenti solitario per syluam, & densam, & iniuiam; quæ est proprietas impossibilium, & chimærarum præsertim compactarum ex quàm pluribus terminis seorsim possibilibus.

Ea itaque conditio processus in infinitum suffragatur potius demonstrationibus Philosophi, & D. Thomae negantium illum absolute; & inferentium tanquam absurdum: eademque aduersatur consequenter Atheistis confugientibus ad eiusmodi processum; tanquam ad asylum nequissimae pertinaciae nolentis agnoscere veritatem, ideoque conicientis se se in mediam caliginem fictionis semper ulterius propellentis, semperque torquentis intellectum, nec vllum vnquam spondentis illi portum, in quo placide quiescat, tanquam, in termino suae intentionis, ac disquisitionis. Nempè salutas, & chimatica constructio rerum sicut affirmata perturbata negata serenat intellectum. Verum, vt tales latebrae prodesse minus Atheistis possent, imò vt nocere nulli possent, consultò demonstrationes existentiae Dei absolutae sunt superius ab affirmatione, & negatione processus in infinitum; & ostentae sunt concludentes eò etiam permisso. Neque verò Philosophus, & D. Thomas ita demonstrarunt existentiam Dei, vt reprobaarent, vel etiam contenderent, seu absolute, seu comparatiue, omnem alium demonstrandi modum; quandoquidem nullus humanus intellectus complecti potest omnes argumentandi modos absolute possibiles, praesertim circa esse Dei, ad quod patent infinitae viae; nulla videlicet alia existente veritate non connexa essentialiter cum veritate existentiae Dei.

Art. 1. Ad 7. Argumenta Christianae fidei accedunt proximè ad veram demonstrationem de veritate mysteriorum eius, vt apparet ex q. illa 18. & è conuerso demonstrationes praesentes de existentia Dei quam minimum assurgunt supra claritatem, & conspicuitatem rationum quam maximè probabilium; vt notat nuper est in responsione ad 4. art. 3. Ideoque primo aspectu videntur esse aequalis, ac vniuersalis efficacitatis. Ceterum re ipsa argumenta Christianae fidei solam euidenter concludunt credibilitatem, & obligationem credendi, vt patet ex eadem illa q. 18. Argumenta verò de existentia Dei rem etiam ipsam concludunt euidenter, vt patet ex dictis in tota ista quaestione.

Art. 2. Status nihilominus eleuationis non est propterea deterius proportionaliter conditionis, quam foret status purae naturae: tum quia maior certitudo fidei compensat, cum absoluto excessu, maiorem claritatem rationis demonstratiue naturalis, vt innotescit ex quest. 22. de Virtut. Theol. Tum quia notitia oblecta, sed simul certa de veritatibus incomparabiliter altioribus, magisque reconditis, quales manifestat fides; plurius merito estimantur, quam quae est clarissima de veritatibus valde obuiis, nec vique adeò sublimibus, quales solas assequitur ratio naturalis; ideoque illa longè nobilior instruit, ac dirigit mores, effectuique humanos, quam illa.

Art. 3. Haudquaquam tamen negauerim rationes suadentes existentiam Dei, maximè sub conceptu supremi gubernatoris totius vniuersi ad quem spectet cura, & prouidentia vniuersalis de ipso, solam, apud nonnullos euidenter ostendere obligationem assentiendi, & quod praudenter assentiri possint, nec nisi imprudenter, ac stulte enormiterque peccando, dissentiri possint. Certè postremum argumentum propositum art. 2. 3. & 24. hoc vt minimum apud omnes euidentissime conuincit; & quia ab eius aliquali consideratione, vt potè semper ob oculos positi, & vbilibet occurrentis, nemo fugere omnino potest, colligitur manifestè Atheistas omnes, hac ipsa professione dogmatis patentissime stulti, insipientis, ac impij, esse scelestissimos; atque ad reliquam effrenem peccandi, & modo minimè humano viuendi licen-

tiam, cui adherent, viam sibi parare, per summum istud nefas rebellionis nolentes agnoscere supremum suum auctorem, ac indicem inevitabiliter praesentissimum sibi. Vnde eatenus atheismus rectè comparatur haeresi; atque hac procul dubio est mens Nazianzeni in illo loco; vt potè damnante Atheistas quatenus, vel negant assensum, quem euidenter cognoscunt se debere praestare, vel nolunt considerare rationes, quibus volentes nolentes, cogentur ad assentiendum.

QVÆSTIO III.

Utrum Deus sit vnus, & simplex?

VIDEVR non esse 1. Quia dantur plures Dij ex Pl. 81. 6. *Ego dixi, Dij estis, & 1. ad Corint. 8. Nūc & si sunt, qui dicantur Dij sive in Caelo, sive in terra (siquidem sunt Dij multi, & domini multi)* Quod autem est multiplicabile, non est simplex. Quia quodlibet multiplicabile constat indiuiduatione, quae non est communicabilis aliis; & naturā, quae est communicabilis aliis; ideoque constat duabus, vt minimum partibus realiter inter se distinctis. Quod est contra simplicitatem ex defectu unitatis. Ergo Deus nec est vnus, nec simplex.

2. In Sacra Scriptura attribuntur Deo. Primò trina dimensio longitudinis, latitudinis, & profunditatis Iob. 11. 8. Deinde partes corporis animati, vt brachium, oculi & dextra Iob. 10. 4. Psal. 31. 18. & Psal. 76. 11. & alibi sepe. Tertiò figura, nec non situs standi, ac sedendi Genes. 1. 26. Isaia. 40. 5. & cap. 6. 2. Praeterea anima, & passiones doloris, tristitia, ira & similes ad Hebr. 10. 18. Genes. 6. 6. & Zach. 10. 18. Rom. 1. 18. & alibi: quae omnia sunt propria substantiae compositae, & constantis materia, de cuius ratione est, vt habeat partes extra partes, vtque sit multiplicatis purè indiuidualis principium.

3. Non sunt idem in Deo natura, & suppositum; essentia, & existentia. Tum quia haec distinguuntur realiter in omnibus effectibus Dei; atque de ratione effectus est, vt assimiletur suae causae; siquidem omne agens agit sibi simile vt habetur ex Philosopho. Tum quia Deitas est in Deo, sicut humanitas in homine; & nihil est in se ipso. Vnde natura tam Dei, quam hominis, est in supposito tanquam in aliquo superaddito sibi. Similiter essentia Dei aliquid superaddit peculiare ultra esse, seu existere secundum se praecise; cum esse, seu existere secundum se praecise sit commune omnibus vtrunque existentibus, deque omnibus ipsis, ac singulis praedicabile; quod tamen essentiae Dei omnino repugnat. Denique Deus innotescit naturaliter quoad an est, vt patet ex q. precedenti; & tamen est omnino ignotus quoad quid est; vt dicitur qu. 5. Multa verò magis ignotus est naturaliter quoad personalitates, quibus subsistit: necesse autem est, notum ab ignoto esse distinctum. Ergo Deus est compositus ex natura, & supposito; essentia, & existentia, tanquam ex partibus realiter distinctis.

4. Deus conuenit cum creaturis quoad praedicata genericae substantiae, videntis, intelligentis, &c. & differt ab eisdem per plura alia praedicata. Ergo Deus componitur ex genere, & differentia. Vnde ulterius sequitur compositio eius ex materia & forma; quatenus iuxta Philosophum genus sumitur ex materia, & differt